half
A Thesis to be bound accord
to pattern No 2

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

ICTERO.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

ICTERO;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti:

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

GEORGIUS EDVARDUS MALE,

ANGLUS.

Societ. Reg. Med. Edin. Soc.

Ad diem 24. Junii, hora locoque solitis.

Edinburgi:

CUM PRIVILEGIO,

APUD ALEX. SMELLIE.

M,DCCC,II.

PATRI

OPTIMO INDULGENTISSIMOQUE

JACOBO MALE,

ARMIGERO;

HAS

STUDIORUM PRIMITIAS,

PIETATE, QUA FILIUM DECET

OFFERT,

G. E. MALE.

NECNON

VIRO REVERENDO

JOANNI DUDLEY,

DE HIMLEY,

IN COMITATU STAFFORDIÆ;

AVUNCULO ET AMICO,

HANC DISPUTATIONEM,

PEREXIGUUM OBSERVANTIÆ PIGNUS

CONSECRAT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

DE

ICTERO.



MORBUS quem pro hujus opufculi argumento felegi, medicorum attentionem optimo jure femper vindicavit; ad caufam ejus indagandam nervosè, nec infelicitèr incubuerunt; et experimenta haud pauca, quibus natura ejus plenius innotefcat, inftituerunt. Varia ei nomina, nempe morbum regium, morbum arquatum, auriginem, &c. impofuerunt medici, vulgò autem audit Icterus.

De Icteri igitur natura, et medendi ratione, quò institutis almae hujus Academiae obtemperem, pauca disceptare statui.

Definitio morbi a Culleno adumbrata, prae aliis, mihi arridet; 'Flavedo cutis et oculorum, 'foeces albidae, urina obscurè rubra, immissa 'colore luteo tingens.'

Species, prout diversa fuerit causa excitans, variant: quinque enumerat idem auctor perillustris.

1 Icterus Calculosus.
2 Icterus Spasmodicus.
3 Icterus Hepaticus.
4 Icterus Gravidarum.
5 Icterus Infantum *.

'Duae

* Vide Synopsin Nosolog. Method.

'Duae ſunt hujuſce labis ſpecies; aut enim in 'flavum croceumque vergit, ſimulque albicat et 'vireſcit, aut in lividum, nigrumque declinat; 'inter haec extrema, infinitae ſunt colorum va- 'rietates *.'

* Vide Aretaeum, Cap. 15. p. 45.

MORBI

MORBI HISTORIA.

Icterus ex bile cum ſanguine commiſtâ conſtat, quae ad corporis ſuperficiem delata, ei colorem flaveſcentem impertit. Hicce color in tunica oculi adnata primum ſeſe oſtendit, ungues occupat; morbo progrediente, per totum corpus denique erupturus, id, colore flavo quod ſaepe haud multum ex auri abludit, deturpans.—Morbo obrepente, ferè ſemper adeſt corporis languor inſolitus, aeger motus averſatur, et torpet; horrores ſubindè recurrunt; ſenſus ponderis et doloris nunc obtuſi, nunc acuti, et haud raró ad humerum dextrum uſque protendens, regionem hepatis tenet; dolor mordax ventriculum occupat; et nauſea, anorexia, flatus, et alia quae

ventriculo malè affecto concitari solent signa, aegrum plus minùs torquent. Accedunt nunc spirandi difficultas, sitis, anxietas, dolor capitis, cutis arida, et calor circa alas nasi molestus; nunc in syncopen incidet aegrotans, nunc convulsionibus corripitur *. Si morbus diutius trahitur, pruritu admodum molesto saepe comitatur; sudor haud facilè elici queat; in somnum proniores evadunt aegroti, somnia autem solicita, mentem ferè semper exercent, et parum reficiuntur. Alvus ut plurimum tarda, solventibus eget; quae infra dejiciuntur, argillacea sunt, et solito foetore orbantur. Haec symptomata saepe subito decedunt, iterumque revertunt. Decubitus in latus sinistrum, plerumque difficilis est, et aeger situm erectum molestè fert, sed corpore aliquantum inclinato, melius se habet. Quodcunque corpus convellit, motus nempè, tussis, sternutatio, &c. dolorem

* Vide Coe on Biliary Concretions, p. 148.

dolorem exacerbat. Saliva, et ſanguis, et quod ex exulceratoriis prodit, flavedine tinguntur; aliae quoque ſecretiones, praeter lac, quod nunquam inficitur, eundem adipiſcuntur colorem, auctoribus fide dignis teſtantibus *; de hoc autem aliter ſentit Underwood, ut ex ſequentibus colligere pronum eſt:

'Women long afflicted with jaundice, during 'any part of their pregnancy, and even actual'ly brought to bed in that ſtate, do not infect 'their children, unleſs they alſo ſuckle them; but, 'from ſome ſtriking inſtances, I have found, that 'ſuckling in that ſtate is capable of communi'cating the true jaundice to a great degree, and 'that it will not be cured but by the recovery 'of the ſuckling mother, or nurſe, or by the

'infant

* Vide Heberden Med. Tranſact. Vol. II.

'infant being weaned as well as properly treat-
'ed *.'

'Gustatus amarorum quidem non amarus, '(quod mirum est), non tamen dulcis; dulcium 'vero amarus †.'

Omnia gustui sunt amara. Cum morbus moras nectit, facies squalet pallore. Sunt qui contendunt visum sæpe affici, et omnia, quæ conspiciuntur, flava apparere. Alii autem, ratione haud minori, hoc negant; et huic opinioni ex experimentis cel. Drs. MONRO, nova firmitas accedit. Ille rubiam tinctorum, quam quibusdam animalibus dabat, totum corpus, præter corneam et humores oculi pervadere inveniebat. Utcunque autem hoc erit, hoc symptoma rarissimè, si un-
quam

* Vide Underwood on the diseases of Children.

† Vide Aretaeum, lib. I. p. 46.

quam adeſt, et ſiquando accidere videtur, ex vaſculis quæ corneam adeunt minimis, magnitudine adauctis, oriri poteſt.

Aliquando febricula accenditur et arteriæ frequentiùs ſolito micant.

Quando icterus ex labe viſcerum oritur, peſſimam induit formam, et haud rarò in putridam diarrhœam, haecticam, vel haemorrhagiam, haud facile inhibendam, morte tandem deſituram, abit.

Quando morbus in ſalutem cedit, decoloratio cutis gradatim decedit. Urina et foeces, colorem naturalem recuperant, dolor mitigatur, vel omnino evaneſcet, et alia morbi ſigna ſuo ordine decedunt. Diarrhoea criſin optatam haud rarò affert.

Icterus

Icterus omnem aetatem, ſexum, et temperamentum adoriri poteſt; faeminis autem prae maribus, et temperamento melancholico praeditis, infeſtus eſt. Qui in calidis quàm qui in frigidioribus regionibus degunt, frequentiùs corripiuntur.

Icterus niger, aetate provectos praeſertim invadit.

SECTIO CADAVERUM.

Cadavera ictero peremptorum inſpicientibus varia ſeſe obtulerunt. Veſica fellis, magnitudine enormiter aucta, et calculis bilioſis repleta ſaepè reperitur. Hi calculi colore, magnitudine, figurâ, et numero, quamplurimùm variant: aliquando uſque ad 100 inventi fuere; et exempla proferuntur, ubi ad 1000 * et etiam 2650 † reperti ſunt. Hoffmanus caſum narrat, ubi 3646 calculi in veſica fellis detecta fuere. Calculus qui cavitatem veſicae fellis ex toto replebat inventus eſt ‡. Veſica fellis ita diſtenta, ut lb8. bilis tenacioris contineret

* Baillie's Morbid Anatomy.

† Parry on Syncope Anginoſa.

‡ Lieutaud, p. 207.

contineret obſervata eſt *. Ductus nunc multùm ampliantur, nunc conſolidantur, vel etiam oſſei facti, exitum bili omnino recuſant †. Intima corporis penetralia bile ſaepe inficiuntur, et adeps ‡, oſſa, et cartilagines eà haud raro deturpantur; oſſa, etiam ad annos poſt morbum fugatum, colorem flaveſcentem retinere dicuntur. Hepar, vel viſcera quaedam vicina, morbida ſaepe reperta fuere; nunc multùm magnitudine imminuta, nunc multùm adaucta. Hepar praeſertim hydatidibus, ſcirrho, tuberculis, abſceſſibus, laboráſſe ſaepe viſum eſt §.

CAUSAE

* Edin Medical Eſſays, vol. II. art. 20.
† Morgagni, vol. 2.
‡ Morgagni.
§ Coe on Biliary Concretions.

CAUSAE REMOTAE.

PATHEMATA quae mentem contriſtant, vel praeter modum incitant, icterum induxiſſe feruntur; bile copioſiùs ſolito ſecreta, in ductus aegrè deferenda; vel ſpaſmo in eos inducto.

Sunt qui, et haud infirma ratione, ſtrenuè negant ductus fibris muſcularibus inſtrui, ſtimulo enim mechanico (nam chemico parùm fidendum eſt) admoto, minimè ſeſe contrahunt *; hoc autem conceſſo, quid vetat quo minùs duodenum, proximè ubi ductus in inteſtina hiant, illos ſpaſmodicè conſtringat?

Ex

* Audi Praelectiones Drs. Monro.

Ex affectionibus quoque animum incitantibus, calculos in vesica fellis priùs existentes, in ductus detrudi, facile concipi potest.

Vita sedentaria; liquorum spirituosorum abusus, homines in icterum proniores reddunt. Omnia quae bilis iter in intestina impediunt, icterum concitare valent. Hepar hydatidibus, vel scirrho obsitum, hujus morbi causa haud rarò existit.

Viscerum vicinorum labes quoque, ut pancreatis scirrhus, vel moles adaucta, morbo originem, ut ferunt auctores, praebuerunt. Hepatitidi *, utut tympanitidi † nonnunquam supervenit. Morsum rabidorum animalium subsequi affirmatur; quod Dr Mead, spasmis ductus biliferos contrahentibus, ut in dolore colico evenit, tribuit ‡. Ossificatio

* Boerhaave, aphorism 918.

† Powel on the Bile.

‡ Vide Mead on Poisons.

catio ductuum, vel hi multùm incraſſati, tranſitu bilis impedito, morbo aliquando originem dederunt.

Acria in ventriculum recepta, vomitum cientia, et prae omnibus calculi in ductibus inhaerentes, icterum movent. Semina fructuum ut groſſularia, &c. orificium ductûs obturando, morbum concitare poſſunt.

Calculi biliarii, in veſicâ fellis generari videntur; ibi enim, et in ductu cyſtico, frequentiùs occurrunt. In poris biliariis, et ſubſtantiâ hepatis parenchymatoſâ detecti fuerunt; hoc autem perraró accidit: Rush enim in cadaveribus ſecandis multum verſato, ſemel tantum ibi occurrerunt.

Calculi biliarii icterum ſolummodò movent, quando itineri bilis in duodenum obſtant. In veſica

ſica fellis diu impunè immorari queant. Icterus aliquando faeminis, dum uterum gerunt, ſupervenit; poſt partum deceſſurus; in hoc caſu, uterus, tantam magnitudinem adeptus, viſcera abdominis et inteſtina ſurſùm premit; hac viâ faecum deſcenſui obſtatur, quae in colo remorantes, ductus biliarios comprimere et obturare queant.

Haller opinatus eſt, concretiones quae in veſica fellis plebiculae quae circa Gottingen degunt, ſaepè reperiuntur, uſu ſpiritûs Gallici immoderato progigni. Febribus intermittentibus aliquando ſupervenit; praeſertim ſi *Cortice Peruviano* nimis maturè ſuppreſſae fuerint, ut quidam volunt *. Medici autem, et remotiores, et qui recentiùs vixerunt, qui de febribus intermittentibus aliquid literis mandârunt, priuſquam uſus hujus remedii innotuit, tertianos, et quartanos inveteratos, icterum,

* Vide Home's Princip. Medicinae, p. 263.

rum, et glandularum infarctiones saepe subsequi, uno ferè ore profitentur. Hodiè quoque haec mala illis, nullo cortice adhibito, saepe superveniunt. Qui circa canales Venetiae degunt, ictero pertinaci, ut fertur, maximè obnoxii sunt, et de iis qui Maris Caspii oras incolunt, affirmatur. Meconium in infantibus, icterum nonnunquam concitat, qui, illo expulso, profligari solet. Quidam bilis lentorem inculpant; et eam magis viscidam et tenacem, tempestate sicca et calida, fieri perhibent, quod valde dubium est: Ratio autem non deest cur credamus, bilem solito densiorem, aliquando secerni *; constat tamen bilem saepe viscidiorem existere, sine ictero superveniente. Casus in hoc nosocomio, medico exercitato, nuper sese obtulit, ubi nulla causa, cadavere inspecto, nisi bilis tenacior, percipi potuit †; accidit quoque,

quòd

* Vide Powel on the Bile.

† Aud. Home's Clin. Praelect.—1801.

quòd icterus, poſt bilis ſpiſſioris dejectiones, ſummotus fuerit: et febre bilioſâ Indiae Occidentalis correpti, ictero ſaepe flaveſcunt.

Calculis Biliariis analyſi ſubjectis, varios habuere exitus; non una enim eſt omnibus facies, ſtructura, vel compoſitio chemica. Quidam ex reſina, terra calcarea, cum alkali minerali et volatili conſtant *: hi *alcohole* ſolvuntur, opaci ſunt, et ex bile condenſata conſtare videntur †: alii ex materia ſalina conſtant; nec alcohole, nec oleo terebinthinæ ſolvi poſſunt, neque flammam concipiunt, ſed in cineres rediguntur; ex chryſtallis conſtare videntur, qui, exterius, ſpeciem lamellatam, interius, ſtriatam, exhibent. Figurâ, magnitudine, et colore, plurimum variant, qui, nunc albus, nunc

 flavus,

* Vide Saunders on the Liver.

† —— Fourcroy.

flavus, subfuscus, vel niger invenitur. Analysi subjecti, resinam, muriatem sodae, carbonatem ammoniae, phosphatem calcis, et oxydum ferri praebent.

CAUSA

CAUSA PROXIMA.

Causa hujus morbi proxima ex bile cum ſanguine commiſtâ deducitur. De viâ quâ ſanguinem ingreditur, varia admodum ſententia eſt. Morgagni et Boerhaavio perſuaſum fuit, morbum ex bilis ſecretione impedita oriri; quam opinionem tamen ex inſpectione cadaverum Ictericorum facilè refutatur: in his enim veſica fellis, bile praeter modum turgida ſaepe reperta eſt: accidit quoque, ubi vitium quodvis, putà hepatis ſcirrhum, bilis ſecretionem impedit, Icterus nequaquam ſubſequitur: nec ulla adeſt ratio cur credamus, bilem in ſanguine priùs exiſtere, (experimentis à Fourcroio nuper inſtitutis omnino poſt-

habitis)

habitis) quàm ex hepate ſecreta fuerit: optimè enim innotuit pleraſque ſecretiones non reverà in ſanguine ineſſe, ſed actione quâdam peculiari ex eo ſeparari.

Bilis, duplice potiſſimùm modo, regurgitatione nimirum, et abſorptione, cum ſanguine commiſci queat: de his medici diu certarunt, et adhuc lis eſt. Qui priori opinioni addicti ſunt, ſententiam argumentis ſequentibus tueri conantur. HALLER affirmat liquorem in ductum hepaticum immiſſum, ad venas hepaticas deferri et hoc experimentum, eodem eventu, a Dre. SAUNDERS iteratur: hic quoque rem ulterius proſecutus, ſequentem inſtituit experimentum.

Ductu hepatico canis ligato, duabus horis elapſis, ſanguinem ex vena jugulari, et quoque ex vena hepatica detraxit: chartulâ in priore im-

miſſâ,

miſſâ, parum afficiebatur, in altera autem flavedine planè tingebatur.

Altera opinio quae gravi Drs. MONRO auctoritate tuetur, argumentis firmioribus nititur.

Ille injectiones ex ductu hepatico in venam hepaticam non facilè, nec ſine vi quâdam, tranſire invenit: in hoc caſu igitur, vaſorum rupturam fieri, colligere pronum eſt.

Argumenta autem quae ex injectionibus derivantur, litem nequaquam dirimunt: ſunt tamen alia quae minùs ambigua videntur.

Ductu hepatico canis ligato, lymphatica quae, ex hepate, ductum thoracicum adeunt, bile turgida reperta fuere, et oculorum flavedo conſpicua erat: ductu autem thoracico et hepatico, eodem

dem tempore ligatis, nulla Icteri ſigna, vel leviſſima apparuerunt *.

Haec igitur experimenta clarè demonſtrant, bilem lymphaticis abſorberi; quod quoque *a priori*, rationi ſatis congruum eſt.

Regurgitatio igitur bilis, ſi unquam, perrarò accidit.

* Audi praelectiones Monro cel.

DIAGNOSIS.

DIAGNOSIS.

Etsi ſigna quae Ictero propria ſunt, eum ſatis benè deſignant, ſunt morbi quidam, qui cum eo nonnunquam confundi periclitantur:

A Chloroſi facile ſeparatur, ſi ad flavedinem albugineae, urinae colorem, et dolorem circa regionem hepatis, quae in Ictero adſunt, animum advertamus.

Quando hepatitis, Icteri ſpeciem ſimulat quae calculo ductui inhaerente, et ita irritante ut inflammatio excitetur, comitatur, quod non raro accidit, diagnoſis difficilis eſt.

Febris

Febris Indiae Occidentalis flava, Icterum nonnunquam simulat: adest autem pyrexia typhodes, subita virium prostratio, et dejectiones liquidae biliosae.

Quando Icterus *ex morsu serpentium* proficiscitur, ex parte primum affecta, color Ictericus gradatim sese diffundit, et alia Icteri signa desunt.

PROGNOSIS.

PROGNOSIS.

In hujus morbi eventu praedicendo, ad causas, quae ei originem praebuerunt, imprimis respiciendum est, prout hae variant, prognosis diversa sit necesse est.

Quando ex causa levi, ex meconio retento, ex animi pathematis, &c. oritur, exitum felicem jure augurare possumus. ' Sudor naturalis optimum ' praebet signum *.'

Si morbus ex scirrho hepatis vel viscerum vicinorum originem duxerit; si adsit ossificatio vel concretio ductuum, rarò medicinae auscultat.

* Vide Home's Principia Med.

Si calculis biliariis Icterus productus fuerit, plerumque in ſalutem cedit morbus: praeſertim ſi aeger aetate floreat. Si autem morbus in longum deducitur, ſi calculus propter magnitudinem ægrè in inteſtina propelli queat, ſi adeſt febricula, et corporis compages infirmior fuerit, viribus multùm reſolutis, aeger in lubrico verſatur ſtatu. Icterus niger peſſima morbi ſigna ſibi adſciſcit; et eo implicati, fatis plerumque cedunt *.

RATIO

* Vide Hoffman à Dre. Duncan editum, Cap. 12. p. 355.

RATIO SYMPTOMATUM.

Cutis color flavus ex bile cum ſanguine commiſta, et ad cutem delata, planè oritur: ad tunicam oculi adnatam et unguium radices, flavedo primùm apparet, quippe hae partes prae caeteris albicant.

Anorexia, nauſea, et vomitus, ex commercio admodum arcto, quod inter ventriculum, mirandum conſenſûs organum, et alios humani corporis partes intercedit, planè repetenda ſunt. Quando morbus ex aucta bilis ſecretione pendet, vomitus ex bile in ventriculum recepta oriri poteſt.

Corporis

Corporis languor et laſſitudo, ex defectu ſtimuli, quem bilis inteſtinis dat, quorum torpor cum toto corpore communicatur, oriuntur.

Faeces bilis orbatae albicant. Pruritus ex bile cutem irritante planè deduci queat.

Dolor in hypochondrio dextro, ex veſica fellis bile turgida, vel ex calculo in ductu inhaerente, oritur. Diaphragma aliquando conſenſû laborat, et ſingultus, dyſpnaea, et tuſſis excitantur. Alvus adſtricta, ex inteſtinis ſolito ſtimulo privatis, quo fit ut munere ſegniùs fungantur, proficiſcitur.

Quando diarrhoea accidit, bili, remorâ in veſica fellis acriùs factae, et in inteſtina tandem profuſae, tribuenda eſt.

Cutis

Cutis nigricans, ex bilis ſecretione perverſâ *, vel ex ea cum particulis rubris commiſta, oriri queat. Alii quoque, non certè optimo fundamento, aliquid putredinis ſubeſſe volunt.

RATIO

* Vide Saunders on the Liver.

RATIO MEDENDI.

In caufis, quantùm fieri poteft, removendis, et in fymptomatis quae molefte urgent mitigandis, confilia hujus morbi medendi abfolvuntur.

Quando Icterus ex fpafmo proficifcitur, quae huic obviam eunt, praefertim adhibenda funt: antifpafmodicis igitur planè locus eft, et inter haec opium prae aliis eminet.

Tepidarium quoque in hoc ftatu, bonos praeftat effectus, vel toti corpori applicatum, vel hypochondrio dextro, ope utris aquae calidae repleti admotum, prodeffe folet.

Si ſigna ſcirrhum hepatis, vel aliorum viſcerum, innuere videntur, parum plerumque valet medicina; ut nihil autem praetermiſſum videatur, ad medicamenta quae obſtructiones reſerant quamprimum decurrendum eſt. Hydrargyrus, et cicuta, ſaepiùs uſurpantur. Chryſtalli tartari, una cum mezereo, laudibus cumulantur *.

Quando morbus ex meconio retento oritur, quae alvum leniter ſolvunt, curationi ſatis fiant. Eadem medendi ratio, quando morbus, ex bile ſpiſſiore oritur, optimè convenit.

Siquando ex bile ſolito copioſiùs ſecretâ originem duxerit Icterus, quae diluunt, et alvum blandè cient, aptè in auxilium veniunt. Exercitium nimium, emetica, cathartica draſtica, et omnia quae

* Vide Home's Clinical Experiments.

quae corpus convellunt, vel ſanguinis circuitum incitant, procul abſint.

Icterus (ut jam dictum eſt,) calculos, ut cauſam frequentiſſimam agnoſcit: haec cauſa, ex morbo ſubito remittente, iterumque recurrente, et ex calculis infra tranſmiſſis, facilè plerumque innoteſcit. Hi calculi ductus mechanicè obſtruunt, et varia medicamina, variis temporibus uſurpata fuere, quae poteſtate eos ſolvendi, vel tranſitum in duodenum expediendi pollere credita ſunt: horum praecipua ſunt acidum carbonicum, aqua calcis, gramen, taraxacum, alkali, aether, &c. horum autem magna pars, nullâ ferè hujuſmodi virtutê praedita ſunt.

Remedia alkalina ad calculos biliarios ſolvendos uſurpata fuere. Etſi autem haec vi ſolvente extra corpus pollere videntur, nulla adeſt ratio

cur

cur credamus, ea ita intra corpus adhiberi posse, ut eundem effectum praestent. Casus autem narratur, ubi ex usu horum, haud parum adjumenti acceperunt Ictero laborantes *. Van Swieten exemplum pauperis memoriae prodidit, qui usu graminis solo convaluit.

Boerhaave, taraxacum laudat. Sanguinis detractioni aliquando locus est, praesertim si dolor, febricula, adeò urgent, ut aliquid inflammationis subesse suspicamur. In hoc statu quoque vesicantia hypochondrio dextro admota, in subsidium opportunè veniunt. Opii laudes in dolore mitigando, irritatione amovenda, et in spasmo solvendo, nemo non agnoscit: nisi igitur urgeat febricula, vel adsint inflammationis signa, remedium in hoc morbo paratissimum est. Caven-

E dum

* Vide Dr Beddoes on Calculus; Dr Coe. Dr White, &c.

dum quoque eſt laxantibus ſubindè repetitis, ne alvus, in Ictero plerumquè tarda nimis comprimatur.

Equitatione, quando vires ſinant, nullum praeſentiùs exiſtit remedium.

Ad cathartica, quibus deſcenſus calculi adjuvetur, plerumque decurritur, his enim motus inteſtinorum periſtalticus augetur: quo conſilio reſina amara ſaepius utuntur; et etiam bilis aliorum animalium, quâ incommodis ex impedito ejus in inteſtina itinere, quodammodo occurritur. Cathartica autem draſtica, nil boni praeſtant.

Emetica, convulſivo quo viſcera abdominis quatiunt motu, profunt, et non rarò calculum in inteſtina detrudunt. Emetica mitiora eſſe debent, quippe quae corpus nimis convellunt, haud parum

ſaepe

ſaepe nocent, praeſertim ſi inflammatio adeſt, et calculus in ductibus infixus eſt. Exempla quoque non deſunt, ubi veſica fellis bile turgida, iis direpta fuerit *.

Aquae quaedam minerales beneficio non carent.

Ictus electrici ex regione hepatis eliciti, non rarò auxilium attulerunt.

Acido nitrico non deſunt ſui laudatores †.

Hoffmanus uſum hydrargyri reprobat; nuper autem optimi effectus hujus remedii uſum ſubſecuti ſunt, et ſymptomata in meliùs converti incipiunt, quamprimum os afficitur. Haec medendi ratio, medicinam in India Orientali exercentibus praeſertim

* Audi Dr Duncan on Therapeutics.

† Vide Powel on the Bile, p. 166.

praesertim arridet, ubi Icterus, quàm in hac plaga, frequentius semet ostendit.

Febris Icteri symptomatica usum mercurii prohibet.

Si hydrops huic morbo inveterato supervenerit, nulla ferè restat salutis spes, etsi morbus primarius cesserit*. HOFFMANUS exemplum Icteri laborantis memoriae tradit, qui hydrope correptus, etsi calculus tandem dejiciebatur, nihilominus morbo succubuit.

Dum aliquis Ictero tenetur, diaeta tenuis, minimè stimulans, partitis vicibus assumpta, omnibus liquoribus spirituosis denegatis, convenit.

Morbo

* Vide Med. Rational. Systemat. Cap. de dolore et spasm. a calc. fell. Observ. 2.

Morbo tandem depulſo, vires aegri, exercitio modico, diaetâ idoneâ et medicamentis tonicis, reſtituendae ſunt.

Calculus biliarius ex veſica fellis, ubi prius latebat, nonnunquam in abſceſſum hepatis, vicinum iter ſibi aperit, et adhaeſione paretibus abdominis facta, viam foràs molitur.

Aliquando, partibus inflammatis, et tandem ſuppuratis, hâc viâ in inteſtina illabitur: hujus exemplum, inter praeparata Noſocomii Sanctae Thomae conſervatur: quòd autem ſaepiùs accidit, in duodenum ex ductu communi, partibus vicinis ferè illaeſis, defertur.

F I N I S.

EDINBURGI:
CUM PRIVILEGIO,
Apud ALEX. SMELLIE.